

simplici saltem & communi motu incedit, stellis fixis iisdem
semper adhærens, non Cometa, sed stella nova vocatur. *L. Phil.
Müllerus tract. de Com. Anni 1618. Longomont. de nov. Cœli
Φανου.*

Proinde ut Cometa propriè loquendo dicatur aliquod no-
vum in Cœlo *Φαινόμενον*, duo cum primis *κρίτηρια* requiruntur,
quorum unum est principale, alterum minus principale. Illud
est Motus cœlestis, non communis tantùm, quo omnes in cœlo
stellæ ab ortu per meridiem in occasum, & inde per mediam no-
ctem in ortum æquali velocitate quotidie semel circumvolvi vi-
dentur, ejusmodi motus enim iis etiam *Φαινόμενοις* insolitis, quæ
novæ stellæ dicuntur, competit; sed præter hunc etiam proprius,
quo Cometæ præterquam quod cum reliquis stellis orientur, oc-
cidant, Meridianum transeant, &c. etiam ad latera mundi eva-
gantur, & Planetarum more peculiarem motus sui arcum in Cœ-
lo describunt. Hinc etiam Planetarum Simii vocantur, quem-
admodum quæ communi tantùm motu feruntur nova *Φαινόμε-
να* Simii stellarum fixarum. Motus igitur, ut uno verbo dicam,
in Cometis requiritur planeticus, h. e. complexus, qui mutuâ
confusione primi & secundi constat.

Alterum Cometæ κριτήριον & quidem minùs principale,
est coma, unde nomen habet, h. e. appendix illa lucida, quæ cor-
pori Cometæ, sive, ut vocatur, capiti adhæret, & parte aliquâ
longiùs nonnunquam protensa in locum Soli oppositum tendit.
Dicitur hoc *κριτήριον* minùs principale, eò quod non necessariò
requiratur ad constituendum Cometam, sed perinde ut aliæ quæ-
dam magnitudinis, lucis, & coloris conditiones abesse nonnun-
quam possit, absq; formæ tamen Cometicæ detrimentò. Ita enim
è Cometarum censu non expungimus statim, quod cum loco
moliatur se, tamen in quibusdam figuræ conditionibus deficit,
v. g. *δισηύς*, Cometa, qui nullos habet aut perexiguos crines, in-
quit laudatus Dn. L. Müllerus d. l.

Ut plurimum tamen Comâ s. capillitio quodam Cometæ
sunt exornati, ob causam infra dicendam, quod interim vel pro
diversitate positus ad Solem, vel pro ratione materiæ varias re-
præsentat formas, unde ipsi Cometæ varias apud veteres sortiti